



bibus anno 1703. factò scriptum reliquit Baglivus (a) plurimos ante primum ejusmodi motum cum ingentibus capitis doloribus noctu insolitum sulphuris odorem per sensitse, & post illum in omnibus fere puteis mutationem quamdam fuisse observatam, cellasq; vinarias pluribus in locis sulphuris odorem emississe. Ante secundum vero terræ motum manifestum sulphuris odorem percepisse circa mediam noctem virum quemdam religiosum in viminali haut procul a Basilica sanctæ Mariæ Majoris. Similiter Anaximander, sive, ut alij tenent, Pythagoras hausta putei aqua terræ motum brevi futurum adnunciassè fertur. Quin etiam tellure concussa ignis sulphureus, & accensi bituminis flamma & visu, & olfactu percipitur. Sic anno Justiniani imperantis septimo una cum terræ motu, qui universam fere Antiochiam prostraverat, ignis sulphureum exhalans odorem ex apertis terræ voraginibus cumulate ascendit. Sic etiam in horrendo terræ motu, quo superiori sæculo ora Siciliæ Ætnæ proxima tribus diebus quassata est, quarto tandem die flammarum, atq; cinerum flumen erupit. Sic denique hoc sæculo Lisabonæ, & in vicinia ejusdem terrificas inter concussiones sulphurea quædam ac graveolens aqua e terræ dehiscens faucibus emerferat.

§. XXXIV.

Nec fatis, sed restat adhuc, quod eæ potissimum regiones huic commotionis periculo frequentius sint obnoxia, quæ majori sulphuris, ac bituminis copia abundant, ignivomisq; montibus propius adjacent, ut Sicilia, & Regnum Neapolitanum. In Sicilia enim Ætna, in Regno autem Neapolitano Vesuvius copioso cum sulphure est positus. Unde adeo validæ non nunquam ijs in regionibus grassantur terræ

mo-

(a) Pag. 352. operum edit. Venet.